



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXXVII. De Obsidione Castri Sardewicz & occisione nongentorum
Pomeranorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XXXVII.

De

*Obsidione Castri Sardewicz & occisione
nongentorum Pomeranorum.*

Cum autem hæc ad aures dicti Ducis devenirent, ultra modum perturbatus fuit, & totum conatum suum in virus vindictæ convertens, convocavit omnes Neophytos Apostatas terræ Pruschiæ & dictum castrum Sardevvicz obsedit, & cum instrumentis bellicis, sagittis & aliis modis, quibus potuit quinque septimanis fortissimè impugnavit, quibus fratres & alii obsessi viriliter resisterunt. Sed quia idem Dux omni dolo plenus fuit, dolosè egit, ut tandem iniquitas ejus Dei odium inveniret, assumpsit majorem partem exercitus sui, relictâ in obsidione parte altera & secretè noctis tempore transivit glaciem Wissele & terram Colmensem multipliciter deprædavit. Cui fr. Theodoricus Marschalcus cum paucis occurrit, confidens de Dei misericordia, cui facilè est concludere in paucis, aut in multis, & inuito certamine percussit eos plagâ non modicâ. Occidit enim nongentos Viros, aliis in fugam conversis; & præter alia spolia, quæ multa fuerunt, CCCC. eqvos hostium conservavit. Dux autem confusus cum paucis rediit ad aliam partem exercitus sui, quem reliquerat in obsidione tam occultè, quod obsessi in castro non poterant considerare, quod actum fuerat in conflictu. Unde miserunt quendam Fratrem ad Marschalcum qui experiri posset de exercitu hujusmodi veritatem, qui Marschalcus ipsum instructum remisit, præcipiens, ut quando ipse cum dicto exercitu Svventopelci inciperet bellum, ipsi de castro descenderent & juvarent, addens ut castrum possideat postea, qui
hic

*Conradus Landgr. Thuring. V. Magister Ord. Gen.
Poppo de Osterna Il. Mag. Prussia Provincialis.*

hic victoriam obtinebit. Marschalcus itaque dum exercitum Ducis vellet invadere, iterum in pralio Syventopolcus ex primâ strage habens certa indicia & signa evidentia Deum sibi terribiliter offensum, & divinæ protectionis clypeum à se recessisse, non dubitans, meticulosus factus fuit, & ideò emarcuit cor ejus, quod ipse cum multis paucos non audebat aliquvaliter expectare, sed in fugam conversus cum suis processit & hostium tentoria combussit, timens dicti Ducis fraudulentam malitiam, tamque dolosæ vulpis astutiam, quæ sæpè fallit ingenium venatoris, non audebat sequi fugientes; sed per totam diem conservavit exercitum suum adunatum, firmans rupturas castrorum per impugnationes factas. Tandem in vespere, relictis ibi pluribus armigeris, recessit.

CAP. XXXVIII.

De

Traditione castrorum Nakel, & deprædatione Terræ Pomerania.

Legatus sedis Apostolicæ, qui continuis curis & sollicitudinibus urgebatur, circa fidei negotium, ut proficeret & inimicus fidei Dux Pomeraniæ deficeret. Videns, quod bellum inciperet aliquvaliter prosperari in manu Fratrum, vocatis ad se (a) de Polonia Duce Casimiro, & (b) Duce de Calis, & Fratribus, consuluit eis, ut cum exercitu procederent contra Syventopolcum, qui Mandatis ejus parentes, secesserunt cum magno exercitu versus castrum ipsius Nakel, figentes ibi tentoria sua, & castris ibi secundum militarem disciplinam collocatis, & erectis ibi (c) machinis & instrumentis aliis bellicis, & præparatis omnibus.